



Observationes in Athenaei Deipnosophistas

<https://hdl.handle.net/1874/322643>

Aug. 192. 1936

OBSERVATIONES
IN
ATHENÆI DEIPNOSOPHISTAS

SCRIPSIT

S. P. PEPPINK



LUGDUNI BATAVORUM
APUD CASAM C.T. E. J. BRILL
A.D. MCMXXXVI

BIBLIOTHEEK DER
RIJKSUNIVERSITEIT
UTRECHT.

A. qu.
192

OBSERVATIONES
IN
ATHENÆI DEIPNOSOPHISTAS

922

OBSERVATIONES
IN
ATHENÆI DEIPNOSOPHISTAS

SPECIMEN LITERARIUM INAUGURALE /
QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAG-
NIFICI / CAROLI GUILHELMI VOLLGRAFF,
PHIL. DOCT. IN FAC. LIT. ET PHIL. PROF.
ORD. / AMPLISSIMI SENATUS ACADE-
MICI CONSENSU / NOBILISSIMAE FACUL-
TATIS LITERARUM ET PHILOSOPHIAE
DECRETO / PRO GRADU DOCTORATUS
SUMMISQUE IN LITERARUM DISCIPLINA
ET PHILOSOPHIA HONORIBUS ET PRI-
VILEGIIS / IN ACADEMIA RHENO-TRA-
JECTINA RITE ET LEGITIME CAPESEN-
DIS / FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET
KALENDIS MAIIS HORA III

SIMON PETRUS PEPPINK
AMSTELODAMENSIS

LUGDUNI BATAVORUM
APUD CASAM C.T. E. J. BRILL
A.D. MCMXXXVI

BIBLIOTHEEK DER
RIJKSUNIVERSITEIT
UTRECHT.

Patri uxori carissimis

CONSPECTUS

	pag
PROLEGOMENA; tractantur codices Epitomes <i>Athenæi</i> , <i>Æschyli</i> , <i>Flavii Iosephi</i> , <i>Nicandri</i>	I
NOTAE IN ATHENÆUM	21
EXCURSUS I: <i>Cleomedis</i> et <i>Gemini</i> loci quidam e codice Laurentiano emendantur	94
EXCURSUS II: Ad Geoponicorum scripta	98
EXCURSUS III: <i>Nicephoræ Basilacæ</i> fragmentum ineditum	101

PROLEGOMENA

Omnium virorum doctorum qui *Athenæum* data opera emendare conati sunt, uno Cobeto excepto facile principes sunt Casaubonus et Kaibel. Casaubonum laudibus extollere non necessarium, editorem ultimum admirari satis non possum. Cum vero multis nominibus mihi reprehendus sit Kaibel, praefari pauca volo ne videar rodere virum egregium qui, quamvis saepe sit lapsus in tractandis libris manuscriptis, *Athenæum* edidit ita, ut quavis fere pagina ingenium eius, doctrinam iudicium praedices oporteat. Attulit sane Wilamowitz haud spernenda, sed palmam facile sibi praeripit Kaibel. Atque utinam Wilamowitz qua erat doctrina atque ingenio nobis dedisset editionem *Athenæi* senex, cum longo usu auctorum et inscriptionum alia emisit quae semper erunt monumenta incomparabilia. Nam sagacitatem Cobeti, Bentley, Kaibelii in restituendis verbis nostri βήτορος admireris licet, est totum hoc opus id genus, ut nonnisi a Scaligero vel Wilamowitzio recte curari posset. Ipsa scripta Cobeti vel Bentley, qui cum commentariis Wilamowitzianis comparaverit, statim intellet quid velim. Cunctanter ergo accedo ad componendas notulas quas, si quid habeant in se boni, postea in usum suum convertat editor futurus. Corrigam igitur quae Kaibel minus bene administravit (qui labor non ingenio sed industria constat), promam notas Valckenaerii Hemsterhusii Cobeti quae neglectae iacent in Bibliotheca Academiae Lugduno-Batavae, deinde interseram quae per complures annos excogitavi vel congeSSI in Bibliothecis Franco-gallicis, Anglicis nec non Italiae. Quibus recte usus is, qui post Kaibelium *Athenæum* edere aggredietur, apparatus criticum paulo emendatiorem dare poterit. Nihil hic mihi arrego, ἀλλὰ κοινῇ ζητῶ μεθ' ὑμῶν qui litteras Graecas amatis, si quid emolumenti redundare possit e fontibus aditu saepe difficilibus ad auctorem, quem omnes semper ad manum habeant necesse est.

Kaibel in praefatione editionis suae affirmat accuratissime se codicem Marcianum contulisse, quod ante eum de filio suo

praedixerat Schweighæuser. Quamquam non ita difficilis sum ut negem Kaibelium multos errores, quos Schweighæuser commiserat, correxisse minime tamen credo textum qualem nunc habemus fideliter ad codicem *Marcianum* esse expressum. Cum vero editor sollemniter paene autumaverit se *ne minutissimos quidem errores vel scribendi distinguendive proprietates neglexisse*, demonstrabo rem non ita se habere. Non omnia exhauriam, sed indicabo ea quae satis superque probent me non frustra iterum codicem *Marcianum* excussisse:

- Pag. 197a: καὶ habet *Marc.*, ergo futilis nota editoris indicantis hoc tamquam *EC* proprium 198a καὶ χρυσοῦ εἰργασμένου sic, non κισσοῦ;
- Pag. 199f 13: ὁ δ' ἐλάχιστος ἐχώρει μετρητήν, omisit ἐχώρει *Laurentianus* (*B*); altum silentium apud Kaibelium;
- Pag. 223f in fine: ἀλλ' ἀποδέδωκας *AE*; nihil editor ad locum. cf. Schwartz, *Euseb. Einleit.* p. CXLIII;
- Pag. 302c 21: *A*: δράχμης pro ἀράχμης;
- Pag. 426b 22: *expectares -on*, Kaibel; at hoc ipsum servavit *A*!
- Pag. 438c 4: margo summarium habet hoc: περὶ τῆς Σκόπια πολυπωσίας (sic); margo ante *Leopardium* veram lectionem subministravit;
- Pag. 535e 1: *A* ἐνεδύσατο ut *E*; male Kaibel tamquam *E* proprium;
- Pag. 579d 10: ἐμπλόκιον ἐκτραύγης: sic *A* emendavit *Jacobsius*, nihil *K* ad locum.
- Pag. 130c 26: ἔτη ἤδη οὔσης, sic *A*!
- Pag. 603b 14: ποτὲ πότου;
- Pag. 691b 4: μυρίσας συγκατέκλεισεν cur tacet editor?
- Pag. 694a 19: τὰς || περὶ praetervidit Kaibel, nam charta plicata est.
- Pag. 696a 4: *A* ἀμπέλων, non *E* solum.
- Pag. 520c 13: περὶ ἧς νῦν οὐ κ. *A*;
- Pag. 471a 8: ἐμοὶ παράδος τὸ πρῶτον sic *A*! Cf. ad p. 532b 17; p. 263e 14; p. 81b 9; c 9c 20; et quae ad finem p. 81 adnotavimus.

Haecce pauca exempla satis docent editorem codicem non cum pulvisculo evolvisse, sed alia mox in notis. Attuli locos aliquot ne viderer temere iecisse crimen in eum, qui optime ceteroquin de *Athenæo* meritis una tamen in re lapsus est; scilicet in codicibus conferendis compendiisque enucleandis! Codices enim

Epitomes male contulit, permulta neglexit, alia ne intellexit quidem, erroribus denique se implicuit qui monstrent eum non satis diu trivisse codices saeculorum XIIIⁱ et XIVⁱ.

Post Kaibelium Aldick se accinxit ad collationem codicum *CE*, correxit pauca quaedam, praetervidit plura, lapsa est saepissime, nec mirum! Scriptura horum librorum satis difficilis est, neque quicquam proficias nisi complures annos in bibliothecis una cum codicibus habitaveris.

Pag. 41*d* 7: Ἀγαμέμνονι *Laur. E*;

Pag. 48*a* 25: *E* στρῶ, lineola ut saepe significat *ον* vel *σον*; στρῶσον ergo habet codex. Codicem hic pessime Kaibel tractavit nihil adnotat Aldick

Pag. 54*e* 17: δυστυχή *E* si Kaibelium audias. Ergo fol. 52^r (= *Ath.* 55*f* 23) γνωρίμη legendum! Minime gentium! compendium èt p. 54*e* èt 55*f* idem est et nihil aliud significat quam *ους*

Pag. 60*e* 17: ἀποπνι additis γτ': id est ἀποπνίγονται, res certa est ad scripturam quod attinet

Pag. 65*d* 21: ὀρνιθάρια nemo male legit (et errare tali quidem in re difficile!) sed pessime èt iuvenis Schweighæuser èt Kaibel lapsi sunt in enucleando p. 62*c* 1 τι sequente compendio eodem quod habes in ὀρνιθάρια. Saepe enim -αρα et -αρια alibi sic exarata sunt.

Saepissime καλοῦσι compendiose scribitur, nemo unquam erravit, sed cum γράφουσι (pag. 66*d* 2) eodem modo scriptum esset, non habebat editor quomodo explicaret, refugiendumque sibi putabat ad correctionem Musuri.

Pag. 12*d* 9: si comparasset editor compendia p. 16*a* ἀναστάντες, 24*b* ἀγρώσσοντες, 25*d* 3 τοξεύοντες (ut pauca tantum afferam exempla e codice *E*) numquam dubitasset de lectione p. 12*d* 9 ubi nemo ἴοντες statim legit. nunc vide quid designaverit.

Pag. 16*f* 2: διαλιπεῖν ὀλίγον κενόν ἐν δὲ utrum horum vocabulorum glossema sit nunc nihil ad rem. sed cur altum silentium apud Kaibelium?

Sed iam satis exemplorum. Novam igitur confeci collationem èt Laurentiani èt Parisini. Infra hic illic tractabo fusius locos selectos.

Quodsi nullam aliam ob causam reprehendere possem editorem, futilis sine dubio viderer viris gravibus qui nonnisi severiora, ut aiunt ipsi, curent despiciantque quicquid studii codicibus excutiendis imponas. Sed latius patet mihi campus. Sescenti sunt loci qui arguunt Kaibelium stylum atque orationem Epitomatoris non bene cognitam habuisse. Nam qui hoc in se suscipit ut antiquas lectiones e verbis epitomatoris eruat, eum oportebit afferre tantummodo ea quae merito inter varias lectiones numerari possint. Videamus quomodo editor hanc rem ad finem perducere conatus sit.

Habet hoc sibi proprium Epitomator ¹⁾ ut saepissime paraphrasin nobis pro verbis auctoris quem in compendium redigat, proponat.

Pag. 231^b 22: ἔχων pro κερτημένος, E. pag. 234^b 12: καλοῦσι pro προσαγορεύουσιν; et multis allis locis usitiora reponit. Patet igitur quid sit iudicandum de varia lectione (sic!) a Kaibelio allata pag. 259^c 15 πολιτῶν pro δημοτῶν. Eodem iure adnotare poterat pag. 230^f 22 Epitomatores συμπολίτου habere. Sic. 318^a 22 ἀναφέρει pro ἀναδύνει. pag. 273^d 1 ἀνίστατο est lectio inutilis.

Ordinem verborum mutat Epitomator ut etiam metrum pessundat.

Pag. 227^e 11: ὃν δ' ἂν ἴδῃ et sic saepe alias. Nihil igitur ad rem adnotare pag. 230^a 4 μοι τις C E servare. Pag. 306^{c-d}. Describam Epitomes particulam: μέμνηται δὲ καὶ κορδύλιδος: — κάμμοροι: — καρίδων γένος ὑπὸ Ρωμαίων οὕτω καλούμενον, κεῖται δὲ παρ' Ἐπιχάρμῳ καὶ Σάφρονι ἢ λέξις. Sic in brevius contraxit suo arbitrio ductus partem *bc* paginae 306. Quis unquam hinc effecisset variam lectionem?

Sescenta talia aliis locis ex Epitome afferre poterat Kaibel, sed non fecit. Nihil proficimus notulis id genus, quas securi abiecimus in posterum. Contra neglexit adnotare ubi signa et indicia coniecturarum supersint.

E. gr. pag. 230^d 2: Στρομβιχίδῃ duobus punctis additis supra η. pag. 242^f 20 τῶι A. E vero τω duobus punctis supra ω

1) Quae sequuntur exemplis confirmare possum ex aliis compendiis tam editis quam ineditis.

additis. Sic enim solebant illa aetate indicare correctiones. Eundem errorem etiam in *A* saepiuscule commisit editor. Mirum pag. 251^e 21 a Kaibelio variam lectionem ex *CE* afferri. Nominibus propriis semper fere superscribit Epitomator lineolam quod et nostro loco fecit; Kaibel hoc dignum putabat, quod adnotaret. Vides quam imperite. Innumeris locis neglexit summaria codicis *A* quae sine dubio magni pretii sunt. Hinc factum est ut pag. 263^e 14, 264^b 14 tribueret Epitomatori quae recte in margine codicis *A* legerentur. Haecine γεύματος χάριν protuli.

De libris manuscriptis Athenaei qui olim disputaverunt aut uno codice niti debere recensionem auctoris πολυμαθεστάτου autumabant, aut sibi persuadebant non minoris esse momenti Epitomen quam Marcianum *A*. — Ante Kaibelium nemo contulit Epitomes libros manuscriptos, ut iure statuas, nonnisi codices minoris pretii esse adhibitos. Nam Muretus¹⁾ et Gronovius perpauca eorum quae in Italiae bibliothecis invenerant in lucem emiserunt, collatio codicis *A* quam Schweighæuser in usum patris confecerat nullius pretii erat. Primus excussit *Marcianum* Cobetus, qui tamen abreptus admiratione librorum antiquissimorum negligere solebat quae codicilli recentiores servant. Inspexit vir acutissimus *Parisinum C*, sed post paucos dies utpote descriptum ex *A* abiecit. Argumenta quibus fretus hoc fecerit collegi e schedis omnia, nec tamen adstipulari possum Cobeto vel Maasio. Nam cum iam eo perventum esset, ut duobus codicibus fretus Kaibelius *Athenæum* ediderit, exstitit nuper Maas, qui in censura libelli Aldickiae de Epitome professus est se, omnibus examinatis argumentis, facere cum Cobeto. Quamobrem omnia proferam quae, per complures annos congesta, probare mihi videantur Epitomen sui esse iuris. Si quae hic illic occurrunt observationes ab aliis iam factae, gaudeo consensu, sed praeter ea quae Wissowa exposuit, in Italiae bibliothecis nihil repperi unde haurire liceret, quae sententiam meam vel corroborare vel labefactare possent. Ac primum quidem in animo est conscribere quaedam de aliis auctoribus, quo melius eluceat quam implicata sit historia, ut ita dicam, textuum scriptorum Græcorum. Prae-

1) *V. L.* XVIII. cap. II. Valckenaer in Schedis.

cepta quae liberaliter dantur multum laboris atque taedii afferunt, exempla vero quae ipse e codicibus collegeris, menti inhaerent meliusque docent quo modo res sit gerenda. Magni momenti est examinare varias lectiones easque comparare cum erroribus in aliis libris commissis. Nam si luce clarius demonstrari potest varias lectiones, quas apte cum lectionibus vel *Marciani* vel *Epitomes* comparaveris, e libris diversae originis esse profectas sive apud *Flavium Josephum* sive apud poetas quales sunt *Oppianus*, *Nicander* alii, nonne strata melius erit via ut eo perveniamus quo tendere est in animo? Perscrutabimur igitur verba tradita *Aeschyli*, *Flavii*, *Nicandri*, et demonstrare conabimur eandem rationem intercedere inter varias lectiones *Marciani* et *Parisini* (*Laurentiani*).

Scribae Byzantini satis diu aut opprobriis sunt exagitati aut laudibus cumulati. Saepe factum est ut iidem èt ineptissimi vocarentur ubi errores explicare deberent philologi, èt sagacitas eorum praedicaretur cum viri docti non haberent, quomodo exponerent, qui factum esset ut optima lectio in stercore tamquam gemma emicaret. Illud inbecillitati librariorum imputabatur, hoc debitum referebant ingeniis Byzantinorum, ut mussites *fuere fortes ante Bentleium et Scaligerum*. Sed iidem Scaligeri et Bentleii Byzantini saepe tam graviter impingunt, ut statim rursus eos detrudas ad discipulos inertes et stupidos. Quam fallax sit haec ratio hisce paucis verbis satis significavi sed festinat potius animus ad exempla. Ac iam statim in medium procedat codex *Aeschyli* adhuc neglectus, quem antiquas lectiones servare consentaneum est.

In amplissimo apparatu critico quem Wilamowitz *Aeschilo* suo addidit non ita paucas lectiones commemoravit editor clarissimus quas nullo modo explicare possis. Harum lectionum originem indagare unius viri docti non est, neque contigit Wilamowitzio ut reperiret libros unde portenta haecce explicari probabiliter possent. Exempli causa codex *L* praebet *Septem* 480 *λίαν* quod unde natum sit haud facile dicas. Nec melius tibi res cedit *Prom.* 783 *οἴκου* vel *Prom.* 1070 *πάλαι* explicare studenti. Aduit codice *Vaticano* 1332 saeculi XIIIⁱ has tres varias lectiones illustrabo, deinde de aliis quibusdam locis pauca commentaturus. *Prom.* 783, Rubricator antiquus atque idem qui in *Sophoclis* textu laborem suum posuit, superscripsit *γρ. οἴκου*. Est haec sane

notula quantivis pretii, nam et facilis explicatu est lectio οἴκους et notanda forma; desideravit enim primus Elmsleius genitivum. In codice differentia inter compendia ου et ους significantia semper constans est.

Prom. 1070, πάλαι in *P* est varia lectio, sed *Vaticanus* optime illustrat unde venerit lectio inutilis: nempe in *Vat.* addita est vox πλεῖον.

Sept. 480 λίαν. Obscura sane var. l. sed lucem affert iterum *Vat.* γρ. λύων: δηλονότι τὴν γλώσσαν.

Insunt libro Vaticano lectiones et confusiones antiquae.

Sept. 724, περιφήμους; I^a manus correxit θι supra lineam. ΦΗ et ΘΙ confusio antiqua. Plura exempla repperiet is qui codicem summa cura excutiendum sibi sumpserit. Videamus si praeter ea quae iam indicavi afferat liber, quae impune negligi non possint.

Pers. 193 confirmat correctionem a Blomfield factam.

Sept. 213, prima littera fuit λ, postea correctata est. Superscripta quae sunt a Rubr. 1^o, quamvis difficilia sint lectu, clare tamen distinguitur λίθων vel λίθοις.

Sept. 277 superscripsit R, Ius: ἀπὸ κοινοῦ τὸ θύειν, θύσειν recte restituit Weil.

Sept. 179, πόλιος, cf. Triclinium.

Prom. 667, ut Naber.

Sunt vero et alii loci ubi olim alia atque quae nunc in codice exstant lecta fuerunt. Nam quod *Sept.* 487: Ἀθήνας a rubr. superscriptum est δωρικόν, indicat hic olim recte lectum esse Ἀθάνας. *Prom.* 692, verbo φύζειν, quod Wilamowitz in τύψειν mutavit hanc glossam addidit rubr. λυπεῖν τὸ χρωῶμα. Evidens est eum olim ψήζειν legisse: confusio frequens est, exempla in Athenæi libris occurrunt haud semel. Neque est negligenda interpretatio versus *Prom.* 974, ἐφ' οἷς πάσχεις κακοῖς, eiusdem sententiae erat Abresch. Sensit idem rubricator *Sept.* 282 non bene procedere textum ideoque adnotavit τὸ ἐπὶ παρέλκων. *Prom.* 77, voci ἐπιτιμητής glossam adscripsit ὁ ἐπιστάτης, deinde pravam explicationem addidit ἢ ὁ ἐπιτιμητής τῶν μὴ ποιούντων τὰ ἔργα αὐτοῦ (sic!) cf. Wil. ad locum. Haec omnia e veteri et bono commentario profluxisse credo, quamvis fatear inter glossas non paucas esse damnandas. Optime tamen editor in farragine lectionum etiam ea attulit quae prorsus inutilia viderentur, aliis vero codi-

cibus repertis (ut nunc e Vaticano apparet) non loco suo, quem nunc in apparatu obtinent, esse privanda dies docebit. Quarum lectionum si vel minimam partem explicare potuimus ope libri satis vetusti, laboris in codice mutilo atque non ita facili lectu suscepti haud poenitebit. Corollarii instar subiicere iuvat selecta quaedam.

In versu *Promethei* 365 explicando multum sudarunt antiqui grammatici, textus cod. *Vat.* habet ἰπνούμενος γρ. καὶ ἰπούμενος σφιγγόμενος ἢ ἰπούμενος (sic. debebat saltem ἰπτόμενος cf. Hes.) ἀπὸ τοῦ ἰπτῶ τὸ βλάπτω.

Prom. 437, quod in codice *B* legitur κάμπτομαι in libro Vaticano glossa est ubi etiam δάκνομαι est additum. *Prom.* 799, γρ. δρακοντόμορφοι; *Sept.* 439, κατήγορος s. scripsit rubr. I γρ. διδάσκαλος, *Sept.* 576, voci πρόσμορον haec nota est indita: ἢ πρόσμορος τὸν ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπόρον ἢ τὸν συμπράκτορα καὶ πρόσμορον τὸν ἐγγυὲς μόρου τὸν ἀξιόβητον τὸν ἀξιὸν ἀπωλείας τὸν βιαιοθάνοντα¹⁾). In his ut in iis quae ad *Prom.* 77 sunt adnotata solummodo priora digna sunt, quae sub examen vocentur, ἀδελφεόν sine dubio est glossa quae expulit veram lectionem quae ex τὸν ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπόρου elicienda est, nempe ὁμόσπορος, quo vocabulo saepissime poeta in hac fabula usus est. Versum igitur ita constituerim:

καὶ τὸν σὸν αὔθις — — ὁμόσπορον.

Ultimae voci glossa erat adscripta, sed vera interpretatio in Vaticano obvia reduxit vocabulum quod perierat. Sic *Sept.* 376, κλήρον in textu legitur, γρ. πάλον addito. Ceterum *Pers.* 137 additum, a R^o. γρ. τὸν αἰχμῶ μανέντα. Hisce omnibus perpensis iure mihi statuere videor in hac farragine latere quae immerito neglecta, e fonte antiquo sunt hausta.

Attamen nemo in censum vocavit *Vaticanum* 1332. Num putas quae insunt bona deberi felici ingenio Byzantini cuiusdam? At ipsa scriptura libri et charta probant rem nobis esse cum viro docto, qui collegit quicquid *Aeschylō* emendando et explicando prodesse posset in codicillum parvum. Optime enim monuit Rev. Mercati Praef. Bibl. Vat. maioris saepe esse momenti libros male exaratos; hos enim in usum philologorum esse compositos, alios vero codices tamquam in usum *Delphini* splendide scriptos servari solere in scriniis, plenos errorum.

1) Obscurum hoc. Vollgraff v. cl. proponit in litteris ad me datis βιαιοθάνοντος cf. *Thesaur.*, VII p. 241 VS. 7.

Post *Æschylum* tractabo Nicandri codicem Vatic. 305¹). Est liber glossis instructus et saepe laudatus a Schneidero. Male collatus est, sed hoc nunc non ago. Iam vidimus explicationes in codice *Æschyleo* esse antiquas atque quantivis pretii aestimandas ad textum poetae tragici melius cognoscendum. Nunc inspiciamus varias lectiones verbis Nicandri additas, praemissis observationibus de locis quibusdam aliorum poetarum.

Iam Aristotelis temporibus Græcos pronos fuisse ad textus poetarum mutandos patet ex Aristotelis *Poet.* p. 1461a 24 coll. cum *Athenæi* p. 424a. Ipsum enim Aristotelem versus Empedoclis mutasse cum nullum exemplum ad manum haberet, minime mihi est probabile, praesertim cum Chryssippi aetate iam multae variae lectiones se in textus insinuassent. Rem tetigit Diehl ad *Theogn.* 175. Inter exempla a me congesta occurrunt, quae proderunt mox quaestioni de Epitome *Athenæi* solvendae, haecine: Aristidis *περὶ τοῦ παραφθέγγματος* p. 536-7 D ubi conferas Keilium in editione sua p. 185. vs. 15. nec non varia lectio apud *Clementem* p. 693 Potteri = p. 378. 7 ed. Stählin.

Haec omnia si bene inter se comparaveris, animadvertes mutationes nunquam esse absonas. Facile erat mutare ita ut quae sublime poetae enuntiasset, fierent sermones humi repentēs²), sed nunquam peccabant contra leges metri. Perdifficile saepe est diiudicare quae vera lectio sit. Ipse *Athenæus* praebet exemplum insigne p. 477c versus Callimachi (fr. 109) et p. 442f, quibuscum locis conferas *Oxyr. Pap.* 1362.

Quae hucusque attuli satis declarant quid sit iudicandum de variis lectt. apud Nicandrum *Theor.* 641 *καλχαίνεται* — *πορφύρεται* *Theor.* 761 *ἀκρόνυχος* — *ἐσπερινός* vel etiam ut in aliis libris *ἐσπέριος* (cf. Orac. apud *Aristidem* p. 307f, 484D. 410 Keil.). *Th.* 699 *ἀλύξεις* in textu! Glossae enim Nicandri verbis additae saepe variae sunt lectiones; nam quod hic illic γρ. omissum est, nihil ad rem. Ipsa indoles et natura harum explicationum docent nobis

1) Operae pretium est examinare glossemata huius libri. Doctrinae haud spernendae offendes vestigia *Theor.* 93 *ὀδέλου*: {*Δωρικῶς*. vs. 40. *περὶ*. glossa: *θερμὴν ἢ πυρὶ θάλπουσαν* 389 *οἴγαρ*. γρ. *ἀταρ*. voluit *αὐταρ*. *Ath.* 442f 3. *Ἐ αὐταρ ὄ* Θρ.! E collatione mea plura proferre huius loci non est.

2) cf *Aristoteles* 1458b 28 ubi nota *ἀσθενικός* ut suo pretio aestimes Timonis versum ap. *Diog. Laert.* 2.55 allatum, quo insuper illustratur totum genus parodiae quod florebat apud Græcos.

rem esse cum lectionibus eiusdem generis atque sunt eae, quas supra apud Callimachum repperimus.

Tandem ut ad *Athenæum* perveniam sub examen vocabo p. 169 c 9 *μιχθεῖσα κοίλοις ἐν βυθοῖσι* etc. Sic. *Marc. A.* Nunc inspice *E. ἐν μυχθοῖσι* supra scripto *βυθοῖσι*. Ut supra vidimus ne unam quidem glossam Byzantinis esse tribuendam neque apud *Æschylum* neque apud *Callimachum*, sed omnes, etiam apud *Nicandrum*, propter naturam antiquorum grammaticorum aetate adscriptas esse, ita et hoc loco èt metrum èt vox ipsa clamant variam lectionem antiquam, sive ex alia editione Antiphanis, sive e commentario quodam, nobis esse servatam. Quam digna vox sit poeta perspicias licet collatis iis, quae legere possis apud Keilium ad *Aristidis* p. 143D. = 224 Keil et *Aristid.* p. 367 Dind. (226 Jebb) collato Platonis *Conv.* 197b. Probe examinatis glossis e codicibus Vaticanis *Æschyli* et *Nicandri* productis, statuo v.l. *μύχοισι* codicis *E Athenæi*, eiusdem esse auctoritatis, atque luce clarius monstrare inesse Epitomae vestigia libri optimae notae; quae quoniam desunt in *A* reliquum est ut demus *C (E)* ex alio codice esse descriptum.

Sunt sane loci multi qui probare videantur *E (C)* ex *A* esse deductum. Quam caute haec res sit gerenda demonstrare lubet e codicibus Flavii Josephi, cuius auctoris exstat Epitome quae sola merito cum compendio *Athenæi* comparari posit. Qui praefationem Niessii attente perlegerit, facere non poterit quin parvi aestimet *V L.* Totam recensionem *Antiquitatum* ¹⁾ niti debere *RO*, arcessitis hic illic *SPMELV*, contendit Niese. Cum vero demonstrare in animo sit *L V* lectiones antiquiores versione Latina servare, omnia quae huc faciunt exponam. Quae disputaverunt editores doctissimi de archetypo codicum *Philonis* vol. I p. III, necnon quae attulerunt e papyris p. XLI repetere longum est, sed antequam accedas ad studia Flaviana haec omnia cum pulvisculo excutias necesse est. Dolendum sane papyros huc usque nobis auxilio non venisse; e codicibus igitur saepe recentibus colligendum ea quae nos eo ducunt ubi nunc ope papyrorum *Philonis* pervenimus.

1) Nihil hic proferam de *Bello* quamquam hoc animadvertere licet codici *Urb.* 85 saeculi XII duo inesse folia superstitia e codice unde descriptus est *Urb.* 85. Hoc efficias e versibus, numero litterarum etc. Sunt haec folia saeculi Xi: (p. 162.20 Niese et p. 302.10) Niese tacet qui levi brachio rem gessit.

Vol. II Niesii p. 14.3 facit cum *Lat.* 61.8 αὐτὴν τε. 63.7 ὅς μόνος cf. *Lat.* 66.6 ὀπλίτας *armatorum Lat.* sine ἐπιλέκτους. 74.4 ἀρχηγόμην (cf. LXX I. Reg. cap. 27. 3 ed. Thack.) tamquam variam lectionem habet. 77.14 εἶπεν — ἰδεῖν ut *Lat.* 133.20. ἀρχίμην ut *Lat.* 142.12. τοὺς δὲ ἀνῆρουν ut *Lat.* *alios.* 168.15 δὲ om. ut *Lat.* 178.1 ἐδεῖτο τε τοῦ cf. *RO* et *pariter* apud *Lat.* 186.2. αἰμᾶνος supra scripto ἤ cf. *heman* Latinae versionis (LXX III. Reg. 4.27) 229.15 κενόν vacuum *Lat.* 251.11—12 τοῦ δὲ ἀναβάντος καὶ πολλάκις μηδὲν ὄρᾶν suppleto Θ ante OPAN habebis lectionem versionis Latinae. 269.25 προσήκειν ut *Lat.* 302.8 ἔτι καὶ ξύλα cf. *Lat.* 319.7 ἔλουσαν τε ut versio Latina.

Haec exempla probant codicem recentem e fonte antiquissimo atque optimo profluxisse, quod insuper efficias e locis hisce: 31.16 Selden. 53.12 = Dindorf 128.21 = Hudson 218.14. 69.14 = Dindorf 80.1 = Bekker 10.18 = Bekker, necnon ubi editor correctam lectionem contra *ROMSP* habet, undo vero hauserit probam scripturam lectorem celare maluit. Locis innumeris facit cum *RO*, ubi errores communes habent e confusione litterarum ortos. 60.7. ἀχάριστον 27.21 σύ τε cf. οὐ τε *RO* 29.5. μὴ δὲ ἔν 55.13. σύ δέ = *RO* 67.1. = *RO*. ἅπαντα ν lineola erat supra scripta. cf. *Praef. ad Philonis opp.* p. LXVII. ἀπάντων — ἀπὸ τῶν et p. LXVIII.

Error qualis 102.9 βουλή pro Φυλή¹⁾ vel 175.4 ΔΕΙΧΘησομένου ad archetypon litteris maioribus exaratum referendus est. Lacunae in *RO* et nostro saepe sunt eadem. Interpolationes partim erroribus a librariis commissis sunt imputandae (παραδιορθώσεις) partim lectoribus. Additae sunt saepe e LXX ad nomina propria explanationes e. gr. 66.4 ἐνγηδέων ἦτοι κυνάδιον voluit sine dubio κυνάριον sed erunt fortasse qui adsciscant Hesychii glossam. κυνάδας: Φυτὸν ὅπερ τὰς αἴγας νέμεσθαί φασιν. Alii afferent fortasse Eus. σπηλαίοις τοῖς ὄχυροῖς comparabuntque κυνὸς κεφαλαί quod nomen in margine adscriptum abiisse in κυνάριον vel κυνάδιον suspicabuntur. Multa etiam e *MSP* sunt hausta. Denique contendere licet lectiones nostri libri saepissime cum Epitome (Zonara, ubi deficit Epitome 311.6) consentientes tribuendas esse fonti communi.) 58.1 ἔφυγε excidit ΔΙ post ΓΙΤΤΑΝ 72.13 καὶ λαθῶν ut *E.* cf. *praef. ad Phil.*

1) cf. Cobet, *Logios Hermes* p. 513 (Clem. Alex p. 571). Eodem modo natus est error τί οὖν vel ποιῶν pro ἴθι οὖν. (conferas *praef. Philonis opp.* p. XLVIII) ΘΙΟΤΝ alter librarius correxit Θ in T alter addidit Π.

p LXVII καὶ ἐθῶν — δι' ἐθῶν. Perfectum et aoristus locum inter se mutare solent ut etiam apud *Diodorum*¹⁾; qua de re vide Schwartz. *Eusebius* p. CXLII. 19.

Disputatiunculae huic finem imponam. Hoc mihi demonstrasse videor: Codicem satis recentem atque neglectum lectiones anti-quissimas, quae prorsus desint in aliis libris, unum nobis servasse. Quodsi occurrunt apud *Athenæum* variae lectiones ex *A* et *CE* quae apte conferri possint cum iis quae penes me sunt enotatae e libris Flavii Josephi et Philonis, credo nobis licere statuere de *Marciano* et *Epitome* quod paullo ante de *RO* et *VL* Flavii pro certo affirmavimus: scilicet ambos èt *R* èt *L* ex eodem archetypo originem duxisse, non tamen *L* ex *R* manasse: tam ergo ab *R* quam ab *L* auxilium esse petendum ad Flavii textum emendandum. Scio si quis alius saepe *RO* et *LV* tam arcte inter se cohaerere, ut credas *LV* e *RO* esse descriptos deinde ex *MSP* esse interpolatos, sed omnibus argumentis perpensis rem se aliter habere aliis fretus rationibus quam Niesianis, mihi persuasum est. Postremo *Epitome Flavii* multa habet communia cum *LV*, non tamen est descripta ex archetypo codicum *LV* neque nititur *RO* vel *MSP*; sed quamvis arcte nunc cum *RO* nunc cum *LV* connexa sit, sui iuris est et magis a Nieseo neglecta quam velis²⁾.

Nullum compendium est, et sunt sane permulta in bibliothecis, quod dignius cum *Epitome Athenæi* comparetur. Atque utinam Athenæum haberemus addito Textu Epitomes in calce paginae, (quod fecit Diels in *Theophrasto*) ut omnia comparare posset lector qui nunc destitutus auxilio micat saepe in tenebris. Equidem qui epitomen penes me habeo eamque novi tamquam digitos, nunc assevero quod postea autumabunt omnes in luce emisso textu codicum *CE*; nam quae *Laurentiani* integri vel *Parisini* auctor emendavit perparvi sunt momenti.

Hisce instructus copiis ipsam Epitomen eiusque codices paullo accuratius inspiciamus. Agam hic primum de iis locis, quibus nisus contendi *Epitomen sui iuris esse*; deinde quae propria

1) cf. *Rivista di Filologia Classica* 1934 p. 167.

2) Nimis tribuunt familiis et classibus codicum ut patet e prolegomenis ad Philonem, ubi praeclare exposuerunt editores quae etiam alios auctores tractantibus perlegere e re erit.

sint Epitomatori exponam¹⁾, postremo proferam quae oculis subiecta, clare monstrent *quam similes inter se fuerint Marcianus et liber e quo Epitome confecta est.*

I. Loci qui probant Epitomen sui iuris esse

1. Lectiones antiquae nonnisi e *CE* cognitae. Protulimus ad pag. 225*d* 17 ἐξαράξας id est ἐξάρας supra scripta correctione ἀξ (ἐξαρξας).

Pag. 169*c* 9: βυθοῖσι ~ μυχοῖσι cf 623*a*; iam alibi sat multa de hac varia lectione exposuimus. Alia exempla in adnotatione haud ita pauca commonefaciam quae omnia eodem tendunt; e. gr. pp. 413*d* 9; 412*a* 12; 200*c* 16.

2. Numeros nusquam respicit Epitomator qui etiam mutatione ordinis verborum multos versus pessum dedit. Num putandus est pag. 223*a* 7: παραλίπη de suo correxisse?

Quantivis pretii est lectio quam solus servavit *E (C)* pag. 228*b* 17:

αἰρεῖσθ' (sic non -σθαι) ὑπὸ τῆς βουλῆς

δύ' ἢ καὶ τρεῖς. ubi sextus pes deest.

Sed notandum imprimis illud αἰρεῖσθ'.

Pag. 238*e* 17: ποεῖν. Nihil opus addere notam!

3. Antiqui ita in versibus scribere solebant *CIA* II et III fasc. 2 2118 (ed. min.):

ἐν δ' ἄρα ἠιθέοισιν et paullo infra

ἐν δὲ ἄρ' ἀδελφείῳς

Qui mos etiam in papyris obtinuit. *Pap. oxyrrh.* pleni sunt exemplorum.

Nunc inspiciamus *Athenæum*.

Religiose ambo conspirant multis locis ita, ut *EC* ex *A* descriptos putes: e. gr. pag. 222*a* 9; τινὰ *AE*; *ibid.* vs. 15 εἶρηκ'; 223*b* 21; λυπήρα; 225*a*: πικρότερα; 242*e* 14: χλευάζετε. Praesertim in versibus sunt loci ubi consentiant *A* et Epitome ut ne punctum quidem temporis dubitaveris quin *EC* ex *A* originem ducant. Sed audiatur et altera pars. Pag. 236*f* 26: ἄνδρ' ἠλίθιον *E* contra *A*. Pag. 242*a* 9 κέχρηται *E* contra *A*. Pag. 286*a* 27: κᾶτα ὕστερον optime *E* contra *A*. Iam vidimus supra Epitomatorem numeros minime curare! Locus notabilis 297*b* 3: Φέροντα *A*, Φέροντ' *E* utpote in verbis poetae scilicet.

1) Cf. etiam excursus III.

4. Verissime Cobet, *Logios Herm.* p. 433: οἱ ἀντιγραφεῖς τὰ ἐκκλησιαστικὰ ῥήματα ἑναυλα ἀεὶ ἔχοντες ἐὰν τινι παρομοίῳ ἐντύχῳσιν ἐπὶ ταῦτα εὐεπίφοροι γίνονται. Quod quam vere animadverterit vir qui in codicibus tamquam habitaverit docet locus 229d ubi *E* μανάσσου (et Rubricator in margine: a manu recentiore adnotatum γρ. μασανίσσου!).

Nunc vero examines p. 252c ubi *A* σίμαχος. Quam facile fuisset librario reponere ὄνομα ἐκκλησιαστικόν Symmachus. Scripsit tamen e libro suo *Λυσίμαχος*. Sic 440b 26: *E* ὀλοφέρνην et ὕρ.

5. Saepissime in lectionibus antiquis *EC* cum Summariis concordant; cf. quae ad p. 263e 14 et 264b 14 attulimus. Quibus adde: 331c 1 ubi summarium ἐν χειμῶνι, 371a 17 σέυτλου *E* ut lemma in *A*.

Compares quaeso 215d ubi *E* μηδένας τοῦτο ἱστορήσαντος ἐτέρου (sic lege!) cum lemmate codicis Marciani ὅτι οὐδεὶς ἕτερος τὰ αὐτὰ περὶ Σωκράτους ἱστόρησεν. Nihili est apponere lectionem Epitomes silentio nota *Marciani* pressa. Praeterea cf. Kaibel ad 435e 19.

6. Qui sedulo comparaverit inter se varias lectiones codicum *Geoponicorum*, *Hippiatricorum*, *Diodori*, *Dionysii* aliorum sine dubio animadvertit libros antiquos saepe diverse scripta exhibere vocabula qualia sunt p. 203c 2: χρυσορράας (*E* χρυσορράας): 387f: ὑποπυρίζων (*E* -ρρ-); 439a 16: συναίσθοιτο (ξυν- *E*); 194f 4: συνωρίς (*E* ξυν-); 426d 19: θρυλουμένην *A*, θρυλλουμένην *E*. Sed codices hac in re sibi constant. Classis *A*, ut ita dicam, auctoris Graeci librorum semper -ρρ-, classis *B* -ρ- habet, atque ita constanter exhibere solet. Idem factum esse observari potest in *A* et *CE*.

7. Consentit *E* saepe cum auctorum superstitum textu ubi in *A* est lectio diversa. Corrupte quae exstant in *A* saepe omittit, saepe emendata praebet, at non e voluminibus superstitibus. Nam cur omisisset corrupta utpote sensu prorsus cassa cum ei bona lectio ante pedes esset? cf. 138a; 504c 22.

Digni sunt qui considerentur loci hi:

p. 213b 4: Μάνιος, Μάλιος *A*, Μάλλιος Epitome;

p. 419a: Μαίνιος *A*, Μαίνιος suprascripto Μάλιος *E*.

Hasce lectiones qui bene examinerit collatis iis quae scripsit Dittenberger *Hermes* VI, p. 153 sq. facere non poterit quin concedat talia non Byzantino interpolatori esse tribuenda, verum antiquis e libris profluxisse.

II. De stylo et doctrina Epitomatoris

1. Corrupta in *Athenæo* suo aut omittit aut corrigere conatur, pag. 288f 5:

A εἰ δὲ λαβῶν ἄρτι σκάρου

E ἤ (sic) δὲ λάβω σκάρου;

puncta addidit supra λάβω quae significant coniecturam hic latere. Est hic locus insigne exemplum pravae correctionis, insuper vides epitomatores, cum non haberet quid faceret voce ἄρτι, omisisse quae non intelligeret.

Pag. 289e 25: καὶ τῶν ἐπὶ γῆς πάντων ἀπυρρχαί sic *E* omissio *ανων*. Felici coniectura locum in integrum restituit editor.

Pag. 301d 3: *A* λεβίαν λαβεῖν οσχετον

E λεβίαν λαβεῖν τόν.

Hemsterhusius (et post eum Valck.) palmari coniectura Arcestratus quid scripserit assecutus est. Similis erroris apud Flavii *Ant.* 6, 310 paradiorthosis εἰς τὴν χώραν pro ἐν τῇ χ—α. Scilicet εἴη in ἤει abierat idque peperit mutationem.

2. Mutat persaepe ordinem verborum ita ut metrum pessumdet¹⁾: pag. 225c 4+5: οὐδὲ ἔν γὰρ καινόν;

pag. 239e 17: ἴα καὶ ῥόδα οἱ παράσιτοι ἔφασαν αὐτόν inepte interpolamentum contra metrum adscivit;

pag. 228a 27: οὐ γὰρ ἐνδέχεται.

3. Usitatus reponit. Pag. 249d 7 ἰδῶν pro θεασάμενος et multa alia id genus; saepe etiam paraphrasin dat vel e more Byzantinorum loquitur. Sic p. 292e 23: οἱ δαιτύμονες pro οἱ κεκλημένοι ita loquebantur inepte Græculi aetate Themistii (*oratio* ed. Din. p. 320)²⁾. Scripsit suo Marte 286d 3: ἴδοις, cf. Eur. *Suppl.* 916 ubi *LP* μάθοι.

4. Rarissime omittit HomERICA vel quae ad Etymologiam pertinent. Locos e scriptoribus superstitionibus partim laudat additis semper hisce verbulis: καὶ τὰ ἐξῆς (p. 280b Sopholis *Antigona*).

Multorum operum perditorum titulos omittit vel, si versus eiusdem dramatis laudat simpliciter addit πάλιν.

Male p. 247c 8 pro ἐν δὲ τῇ διασκευῇ — Φησιν nihil aliud dedit quam ἀλλαχού.

1) Epitomator quae sibi inutilia videntur omittit 378; ἔπειτα εὐθὺς ἀρχιτεκτονεῖν scripsit securus de metro.

2) Cf. p. 382d *Athenai*. Invaluit usus huius vocabuli aetate Plutarchi.

Quibus omnibus perpensis vides quam caute sit res gerenda in ea parte *Athenæi* quae nonnisi ab Epitomatore nobis tradita est.

5. οὖν et γοῦν inter se confundit locis innumeris, 233^e 11 et 234^a 25 aliis locis.

6. Complures locos inter se comparavit. Pag. 253^f 22 ταῦτ' ἦδον οἱ Μαραθωνομάχαι — Φονεύσαντες deinde pergit καὶ Θηβαῖοι δὲ κολακεύοντες Δημήτριον ὡς Φησι Πολέμων ἰδρύσαντες¹⁾ γὰρ Ἀφροδίτης Λαμίας. ἐρώμεναι δὲ Δημητρίου ἢ Λαμία ὡς καὶ ἡ Λέαινα cf. 253^a b. Saepe hac via et ratione *Athenæum* suum mutilavit, sed neglegenter non legit.

Pag. 250^d 14. Post εὖ γε νῆ τοὺς θεοὺς ἐπιτετίμηκας ᾧ Διονύσιε haec habet Epitomator τὸ δ' αὐτὸ καὶ περὶ κλεισόφου λέγεται κτλ., quae sumpsit e pagina 248^d. Qui ipsam Epitomen evolvit, inspiciat pag. (Casaub!) 375, 374, 377—381. easque cum *CE* comparet!

7. Doctrina Epitomatoris. Optime sciebat græcum esse Θεοδώρειος, non -ριος, quod patet e pagina 252^c ubi Epitome habet Θεοφράστειος. Incertum igitur utrum l. l. Θεοδώρειος codici an Epitomatori sit tribuendum. Apud Euripidem *Herc.* 998 male invexerunt Byzantini formam in ειος exeuntem (cf. Cobet *Mn.* II. NS p. 215 et *Athen.* p. 279^d 2).

Pag. 225^e 17: ὅτι τὰ περὶ τῶν ὀπισθονόμων βοῶν ἱστορούμενα οὐκ ἀληθῆ τί δὲ περὶ τούτων ἱστορήται ζῆτει εἰς τὸ περὶ ζῶων ἰδιότητος Αἰλιάνου. Ipsa notula clamat Byzantinum loqui.

Pag. 262^b 9: αἰεὶ ποτε ἐγὼ τεθαύμακα etc. Epitomator allato versu Diphili (litt. a) ita pergit: καχεξία τις υποδέδυκε — καὶ τὸ πρὸς χάριν πολὺ Δίφιλος Φησίν (quae e p. 254^b transtulit) quibus interiectis comparat τὸ αἰεὶ ποτε τεθ. cum versu Sophoclis hunc in modum Φησι τὸ αἰεὶ ποτ' ἄνδρες τεθαύμακα ὁμοίως τῷ αἰεὶ παῖ Λαρτίου δέδορκα σε; statim sequitur: Φῆσι Μακκαρεὺς (p. 262^c 16).

Pag. 334^c: ὁ τὰ Κύπρια ποιήσας ἔπη τὴν Νέμεσιν ποιεῖ διωκομένην ὑπὸ Διὸς καὶ εἰς ἰχθὺν μεταμορφουμένην ἢ Διοσκούρουσ καὶ Ἑλένην ἔτεκε (cf. scholion in Epitome Iosephi et Zonara, ed. *Antiquitt.* Niesii I p. 51).

Pag. 335^c: Σῆ. (id. est σημαντέον vel simile quid) ὅτι εὕρηται αἰτιατικῇ τὸν Ζεῦν ἀπὸ εὐθείας τῆς Ζεὺς παρὰ Πολυκράτει τῷ σοφιστῆ.

1) Error e compendio natus, ni fallor, non e codice haustus. de ἰδρῶ cf. *CIGr* VII, p. 286, no. 1672.

Pag. 252a: 12 οὗ μνημονεύει Ξενοφῶν. Epit.: κῦρος quod aut doctrinam prodit Epitomatoris aut margini codicis ab *A* diversi debetur. Quicquid hac de re statuas, dignus est locus qui proferatur.

Pag. 422d 24: Pro Μητρός rescipsit Ρέας.

Locus memorabilis est pag. 520a 1: εὗτ' ἄν etc. Epitome haec omnia suis verbis expressit ita ἡ Πυθία ἔφη μέχρι τότε εὐδαιμονεῖν (puncta addidit supra ονεῖν fuit igitur olim correctio in margine; et revera requiritur futurum) ἔστ' ἄν πρότερον θνητὸν θεοῦ ἄνδρα σέβωσι. Patet ergo de suo librarium dedisse quod vides, alia omisit, alia mutavit, sed stylum oraculorum bene observaverat.

Latinae linguae tamen ignarus erat. Nam ὀρβικᾶτα pag. 80f 25 statim in ὀρβικλᾶτα mutasset (cf Diosc. I. 115. 3. Wellm.) si vel leviter doctus fuisset.

III. Comparatur Marcianus archetypo Epitomes

Saepe complures voces separatae leguntur ita ut pateat librarium data opera scripsisse textum ut nunc in *A* habemus.

Prorsus eodem modo haec scripta dat *E* locis hisce:

Pag. 233f 20: ἄν ὑπεύθυνον *A E*;

242b 18: ὁ, τι *A E*;

317d 23: τοῦτο, νευρῶδες *A E*;

268d 17: ἄν εστραγάλιζον *A E*;

368e 20: ἦρα οπιον sic *A* in fine versus, *E* ita ἦρα ὀπιον;

450d 10: οὐδ' ὅσ' ἄν τάντων *A E*.

Huc refero etiam pag. 421c 9, ubi *A* ita:

ἔστ' ἄν σοι μαχη τέον.

E. omittit τέον; pag. 689d 1: τοῦτ' ἔκ nusquam in *A* ο in τοῦτο in oratione pedestri omittitur. Hoc solo loco tamen ambo fideliter conspirant;

pag. 136b 8: ἀθάνατα ων. *E* vero ἀθάνατα ἄν quod eodem redit.

Interpunctio. Contuli in *Bibliotheca Apostolica Vaticana* codicem illum antiquissimum *Polybii* cum excerptis in codice *Urbinate* servatis quam potui religiosissime, quo mihi melius constaret de origine *Urbinitis*. Ad interpunctionem quod attinet *Urbinas Vaticano* simillimus est; at tamen e *Vaticano* descriptus non est. Nunc perlustremus locos aliquot *Athenæi*, qui optime monstrent *Marcianum*, ab exemplari Epitomatoris hac quidem in re nonnisi raro discrepasse.

Pag. 470f 26: *A* χώρει σὺ δεῦρο Θηρικλέους πιστὸν τέκνον γενναῖον· εἶδος etc. γενναῖον sine dubio cum εἶδος coniungendum. Prava interpunctio in errorem duxit Epitomatores qui huius fragmenti non nisi χωρεῖ usque ad γενναῖον excerpserit. γενναῖον omisisset si punctum post τέκνον positum reperisset.

Pag. 419c 7: *A*:

ἀλλ' ἠδέως ἔχων ἔμαυ
του: μνησίθεος γάρ
Φησι: δεῖ Φεύγειν ἀπάν
των τὰς ὑπερβολὰς
αἰεὶ

Nunc intelleges cur *E* ita excerpserit:

ἀλλ' ἠδέως ἔχων ἔμαυτοῦ·
καὶ Μνησίθεος: δεῖ Φεύγειν etc.

Pag. 449e 15: *A*:

γνώριμος δ' ἅπασιν ὦν αἰεὶ· σύχ.

E in hunc modum exhibet eclogam

γνώριμος δ' ἅπασιν ὦν αἰεὶ· τίς οὖν (= vs. 17).

Nihil ei causae erat αἰεὶ adsciscere, attamen ductus prava interpunctio, donavit nos vocabulo quo quid faceremus, non haberemus perdito codice *Marciano*.

Est locus ubi interpunctio perversa devium egit Epitomatores (cf. *Rivista di Fil.*, 1934 pag. 164—165)

Pag. 512b 15: μάλιστα γὰρ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τὴν ἡδονὴν· οὗτοι καὶ τὸ τρυφᾶν τιμῶσιν, κτλ. Quid vero *E*? τὴν ἡδονὴν προκρίνουσι. οὗτοι καὶ τὴν τρυφὴν τιμῶσιν. κτλ. puncta sub προκρ. posuit.

Cum in *A* male interpunctum sit post ἡδονὴν Epitomator de suo addidit προκρίνουσι ut sententiam imperfectam scilicet resarciret. Postea animadvertit aliquis quo modo se haberet structura verborum atque illud importunum προκρ. punctis notavit, sed vides unde sit natum. Sat multi errores id genus occurrunt in codicibus *LV Antiquitatum Flavii*.

Quaeri potest unde sit nata lectio haec Epitomatoris:

pag. 377e 19: εἴ σε λήφομαι νῦν καὶ κατεσθίοντα καὶ τοὺς ἀνθρακας.

At inspicias ipsum *Marcianum* velim:

λήφομαι νῦν
μὴ κατεσθίοντα· καὶ
τοὺς ἀνθρακας

oculi librarii aberrarunt, sed ipse codex ansam dedit. Vides quam similes hi codices inter se fuerint.

Pag. 283a 1: Κράτης pro παγκράτης habet Epitome. Originem huius erroris qui cognoscere vult ei patebunt omnia inspecto libro *Marciano*. Nam in *A* ita est scripta haec particula: ἰχθὺς παγ
Κράτης

Adnotat Cobet in schedis in ipsa Bibliotheca *Marciana* factis: Κράτης ubi nova inchoatur sententia omnia tamen eodem tenore continuantur sed sequentis versiculi prima littera paulo caeteris grandior extra versum eminent, hinc ortus error Epitomatoris.

Pag. 378d 8. Librarius quod in suo exemplari invenit signa fideliter transtulit in *Marcianum*.

Lineola vel diplo indicat novum incipere capitulum sive poetae fragmentum sive scriptoris pedestris.

In codice *Marciano* locus laudatus legitur ita:

— πάλιν τὸ περὶ τῆς ἀρχιτεκτονικῆς ἴσως ἐθαύμασας τί τῆ τέχνη συμβάλλεται. ἐγὼ δ' ἐθαύμασ' ἄλλ' ὅμως ἐγὼ φράσω
„τοῦπτανεῖον ὀρθῶς.

Vides eum signo indicavisse novum incipere capitulum, versus vero inde a τοῦπτανεῖον initium capere. Nunc inspicere Epitomen: περὶ δὲ ἀρχιτεκτονικῆς ἐκεῖνο ἴσθι. δεῖ τοῦπτανεῖον. In errorem ductus est signis, quae in codice, quem ante oculos habebat eadem erant atque in eo libro quem descripsit librarius *Marciani*.

Raro admodum scribae lineolas vocabulis induunt quibus indicent quantitatem syllabarum, rarissime vero hoc factum in *Marciano*.

En tibi exemplum quod solum mihi cognitum est: pag. 393b 11 δοιδῦκα et prorsus eodem modo exhibet scriptum hoc vocabulum *E*.

Congerere coniecturas virorum doctorum quantas molestias afferat quamquam vix necessarium exponere, tamen loci ab aliis sanati quos nunc subiiciam satis probabunt Kaibelium hanc rem paulo negligentius administrasse. Ferit animum viros egregios eum saepe sine mentione praetermisisse, ut mihi suborta sit

saepiuscule suspicio scripta philologorum qui ante nostram aetatem inclaruere nunc non ea qua sint digna cura perlegi¹⁾).

P. 225b pro *O. Muller* lege *Grotius*; p. 227a: ἡμῶν sic iam *Grotius*; p. 230a: ἀ οἰκία *Blomfield*, ad *Æsch. S. C. Theb.* 1397; P. 239e: ραφανίδα *Grotius*; p. 278c: ἀλῶ που conferas: *Heringa* p. 178 (et 181); p. 282b: θ' ὅς *Heringa* p. 176; p. 291b: παραπολουθησάς *Grotius*; p. 291c pro *Meineke* leg. *Grotius* qui et in textu et in notis rem confecit; p. 291f: οὐ ante *Porson* iam *Grotius*; p. 313f ante *Schw.* iam *Janus Rutgers, Var. Lectt.* p. 190; p. 336c: ante *Porsonum* correxerant *Muret, V.L.* XIX, 3 (cf. *Porson, Tracts* p. 239!!) et *Grotius*; p. 338d *Casaub.* ap *Schw.* p. 524 ante *Porsonum*. Operae pretium est conferre quae emendavit *Tyrwhitt* apud *Kidd.* in *Addendis ad Dawesii Misc. Cr.* p. 664 sqq. cum iis quae praebet *Kaibel Athenæi* p. 694.

Sed in adnotationibus in usum editoris futuri proferam, quae *Kaibel* minus recte attulit. Fugere sine dubio et me sat multa sed quae viri primarii hac in re praestiterunt sedulo collegi. Silentio premere viros doctos anonymos non possum, qui ante *Casaubonum Canterum Leopardium Athenæo* operam navarunt felici saepe eventu, ut una cum *Musuro* sint nominandi. Petere licet e codicibus *Parisino* et *Laurentiano* qui olim e *Marciano A* sunt descripti, quae postea a philologis recentioribus inventa tandem aliquando reddantur iis, qui primi manum emendatricem *Athenæo* admoverunt. Accipe rursus exempla pauca tantum.

P. 128d 18: παισιν ut *Casaub.*; p. 260d 18: ἡγεῖται δέ ut desideravit *Schweigh*, p. 271d 5,6; inclusa quae delevit *Meineke* iam in *Laurentiano* inducta sunt. p. 152d 1 ἔτι δέ ὁ Ποσειδώνιος ut *Kaibel*; p. 150e 16: τῶν om. ut *Kaibel*.

Multa quae *Casaubonus* affert, propria sunt horum codicum. Homo perversi iudicii, *Villebrunium* dico, iniuste invectus est in *Casaubonum*, quem defendit *Schweighæuser*, sed equidem non video cur codices, qui sat multas bonasque correctiones afferunt ab editore abiecti sint. Num soli *Canteri* et *Leopardi* digni sunt qui nominentur? Hausit sine dubio *Casaubonus* e fontibus hic illic ab eo indicatis. Adeamus ergo libros philologorum et humanistarum (sit venia verbo!) utpote non minus laude dignorum, quam sunt *Fiorillo* alii quorum nomina nunc in apparatu critico *Kaibeli* repperiuntur.

1) cf. *Porson, Adversaria* p. 41 et *Watson, Life of Porson* p. 341 sq.

NOTAE IN ATHENÆUM

- Pag. 74a 15. Primum vocabulum in *A* est στελέω (sic!).
c—d: κἄν ἀπὸ κράδης ἀποκρέμασθαι δέη· Φιλόσυκος γὰρ εἶμι
 δαιμονίως. Lacinae poetae comici (cf. 161f); praecedit
 fortasse λέξω δ' ὄμως.
- Pag. 75b 7: θειοΦαγές *A*; iterum errat editor.
c 2: βραχχίαι sic *A*; errat Kaibel.
d 11. Valckenaer ut Kaibel.
e 16. Requiro ὡς ante καλλίστων ut pag. 75f 6.
f 25: ἐν τῇ πάσῃ οἰκουμένη γινόμενα — γινομένων. γινομένων
 aut delendum aut πιπρασκόμενα scribendum (cf. 82c). Aber-
 raverunt enim oculi librarii.
- Pag. 76a 9: καύνεα, *A*.
a 14. Possis etiam προικιζομένης, τῆς ἱμ. τάδε λεγούσης cf.
 p. 109f 21.
c 3: λευκερινεός, *A*.
c 11: ἀλλ' οὐχ ὁμοιά γ' ἐντ' ἐρινοῖς οὐδαμῶς, Cobet.
d. In lacuna fortasse supplendum αὐτὸς ἀχρεῖός τις ὢν.
f 12. *Excidit aliquid*, Cobet; cf. Kaibel.
- Pag. 77b 26. Excerpsit e *Theophrasto* partem quam libere trac-
 tavit: Kaibel supplevit δέ, quod propter δέ, quod statim
 sequitur non inseruerim, sed, ut solent Epitomatores ὅτι
 μὴ inter μέγεθος et στρογγ· (vides cur exciderit) cf. *Diosc.*
 IV, 5 (p. 172, 17 ed. Wellmann).
b 5: καὶ τῶν παχυτάτων. Scripsit fortasse κἄκ τῶν cf.
Theophrastum et ad p. 689d 1.
c 18: λευκόμφαλος, Cobet.
- Pag. 78d 7: εἰ τῷ χυλῷ τῶν συκῶν διατρ., Cobet.
f 3: γνοίης χ' ὅσον τὰ, Cobet; recte cf. Hense apud Diehl,
Anth. Lyr. p. 286.
- Pag. 79b 20. Dixitne τῶν ἄμων σαρκῶν? cf. 80c 1, Plut., *Mor.*,
 p. 734a § 28 ἄμων λαχάνων; *Luc.* 42. § 17; *Diosc.* I, § 115
 (p. 107. 14. vol. I. Willm.).

Pag. 80c 23: τυγχάνειν, Cobet.

c 26 Valckenaer ut Wilamowitz.

e 12: κρέας, Cobet.

Pag. 81e 9: $\bar{\gamma}$ ἢ $\bar{\iota}$. Irascor Kaibelio qui talia omiserit: Cobet scribit: lege ἐν τρίτῃ quod scriptum sic ΓΗΙ *peperit errorem*. Sed ἢ $\bar{\iota}$ fortasse est correctio τοῦ $\bar{\gamma}$. Γ - I quam facile confunduntur! Nihil certi affirmare licet.

c 20: τε. *Puncta superscripta delendum τε significant*, Cobet, Kaibel nihil de hac re ad locum.

c 23 + 27. Cf. Nicandri Al. 234 cum schol. de hac scriptura.

d 10: κυδωνίους (*A* κυδωνέους non ut editor adnotat!) μήλοις <ἔχ>εις vel (ἔχει) τὰ τιθία <ὁμοῖα>? Nam OMOIA facile post TITΘIA excidere potuit.

e 17: μὴ τηρήσαν — δύναμιν, delent Valck. et Cobet.

Subiiciam locos aliquot quibus fretus iudicium facere possis de diligentia editoris in excerpendis lectionibus:

d 6: μυρινα sic *A*;

d 10: κυδωνέους;

f 23: κούμαλλα in margine κούμαλλα;

f 25: κούμαλλον.

At dixerit quispiam *talìa non magni momenti*. At cur adnotare quae non magni sunt momenti aut quid proficimus erroribus negligentia editoris natis?

Pag. 82a 9. Pro ἐλαχείη fort. τραχείη.

Pag. 83a 9. *B*. ut Musurus.

Pag. 84b 5: τὰ αὐτὰ ταῦτα *i.* scribit Cobet et delet vs. 6 τὰ τοῦ Ἄντ. quae primus delevisset nisi Taylor praeripuisset hanc restitutionem.

c 14. *Latet nomen deae in ΔΙ exiens*, Cobet (Valck. βεργαῖα coniecerat).

Pag. 85a 20. Cobet ut Hertlein,

b 2. Hieron. Mercurialis, *Var. Lect.* III. 4 et Schneid., *ad Nic. Al.* p. 92 diu ante Wilamowitzium manum *Athenæi* invenerant.

b 21. *B* ut Musurus.

c 13. Inter πολλῶν ὀστρέων et καὶ τῶν ἄλλων κτλ. quaedam intercisisse videntur.

- Pag. 86b 20: ἐν Περραιβίσι (Hecker) ἀνηριτοτρόφους νήσους „νηριτο-
τρόφους” εἴρηκεν. Sic solet Athenæus; cf. 86f 10; caeterum
cf. *Strabo* 415 Cas. (cap. II § 41).
e 22: κογχύλεον, A.
- Pag. 87a 16. *Scrib.* κόγχη, Cobet.
a 21: ὄστρεα A.
f 11: μῦς Cobet.
- Pag. 89a 12. B μικρόν fort. ex *Aristotele*.
a 20. Post βάρματος Cobet ἀποούσιν supplet.
- Pag. 90b 24. Casaub. et Palmer (*Exerc.* p. 493) iam ut Kaibel.
b 27. Loci quos apte conferas persuadent inter ἀκαλήφας
et λέπαδας μυας id est μῦς (cf. ad 87f 11) excidisse.
- Pag. 91b 5: βρύσων Brunck et Cobet; σπαταγγῶν Cobet.
c 13. Grotius ante Toup.
- Pag. 93b. *Scrib.* χοιρινῶν, Cobet.
d 18: οἱ Περσαι A.
f 3: μένουσαι E in margine; praetervidit editor festinans.
- Pag. 95a 15: περικομμάτιον Cobet.
b 2: ἔψειν ὅτια ῥύγχη Cobet.
c 13. Cobet ut Kock.
e 7: τρέπει pro στρέφει Valckenaer et Cobet.
- Pag. 96e 17. *Casu exiit versus anap. tetr. deinde malim ἐν τῷ δ,*
Cobet.
- Pag. 97b 19—20. *Scribendum* κάγαβοὶ οἱ ξυμπόται καὶ πεπαιδευμένοι
εἰσιν, Cobet.
c 3: γάστραν καὶ κοιλιόδαιμον ἄνθρωπε κτλ. Haec poetam
comicum redolent (cf. 100b).
d 12. B ut Musurus
- Pag. 98a 16. Nihili est ὑποδησάμενος τὸν πάγωνα. Nam omnino
hae paginae conferendae cum *Lexiphane*, e. gr. vs. 17
ὀπτός *Lex.* § 9 ubi recte est interpretatus interpres Didot-
tianus et ita iam Casaubonus alicubi in commentariis in-
tellexerat. Excidisse videntur ea quae ad πάγωνα referri
debebant. cf. *Lexiphanes* § 5.
b 28. Verum puto τῆς ἀλέκτορος θεᾶς deletο Ἰθηνᾶς. For-
tasse e tragico aut inepto poeta qualis fuit Lycophon.
d: ἰακχον. Requiritur forma verbi ἰαύειν cf. *Lycophon.* 606,
c 8: τοῦ om. A!!

- Pag. 98e 24: ὀρθοβάαν et βροτακέρην codex *A*.
e 1. Ante Wilamowitzium iam Pearson.
 —: ἡλικρεῖς Fort. ἡλιοκαεῖς (cf. *Luc. Lex.* § 2), latetne
 in λιπονσα θεωτων, λίπους? cf. Herodianum apud Eust. *Od.*
 p. 1560.26 199. λίπος fortasse forma doctis solis in usu.
- Pag. 99b 21: ὠπόλλων Grotius in *Excerptis*.
b 5. Cobet ut editor (ἀεροβατικά).
b 6: ἐνύδρων, Cobet.
c 9: καὶ ante κατὰ delet Cobet.
c 11: ἀναφανήσει, Cobet.
- Pag. 100a 25. Coll. 107b 7 in lacuna supplere possis ὄρῳ χαρλεντα·
 ταῦτα χ.
- Pag. 100c 20: ἴσως προσιταλων αποθανεῖν. Nullus locus hic verbulo
 ἴσως cum οὐ πῦρ οὐδὲ σίδηρος οὐδὲ χαλκὸς ἀπειργεῖν poterant
 Callimedontem μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον. Sed hinc notus error
 ἴσως λοι
 προσεῖταν αποθανεῖν
 id est ἴσως: πρόελοιτ' Fortasse: πρόελοιτ' ἂν ἀποθ. expli-
 cationis causa πρόελοιτο erat additum quod postea tam-
 quam varia lectio supra scriptum ineptum in modum
